



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 101. Pax Mantuana inter Cæsareos & Gallos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII. propria castra impetum fecit, quibus
A. C. 1630. facile, utpote ex condicto perruptis,
 suas cohortes tanquam a Venetis sub-
 missas obscuro tum die ad urbis portas
 admovit, delusisque præfidiariis intro-
 missus miles urbem levi suorum dispen-
 dio in Cæsaris potestatem redegit.
 vita nemini, qui resistere auderet, do-
 nata: ipse etiam Nivernius Dux una-
 cum Filio, suisque Nepotibus ac Pro-
 cerum non paucis in Portuensem ar-
 cem profugus, in Ferrariensem Pontifi-
 cis ditionem secedere compulsus est,
 ea lege inde dimissus, ne ad Francos,
 Venetosque sese reciperet.

§. CI.

Pax Mantuana inter Cæsareos & Gallos.

Khevenhil.
Annal. Ferd.
t. II. p. 1190.
Annal. Boic.
part. 2. l. 15.
Piasec.
pag. 495.

Hujus Urbis jactura, adversaque Do-
 cis Nivernii fortuna Gallos ad pa-
 cis consilia proniores reddebat: Addi-
 dit quoque calcar ipsemet summus
 Pontifex, qui misso Julio Mazarino,
 quem Richelius Cardinalis maximi ha-
 buit, saltem inducias pangi petiit, ob-
 tinuitque. Interim vero Ratisbonæ in-
 comitiis Electores, atque inter eos
 præcipue Maximilianus Baviaræ Se-
 ptemvir toti in eo erant, ut Cæsarem
 ad pacem Italiæ reddendam inclina-
 rent.

rent. Non deerant quidem, qui Fer-
 dinando suggererent, dolum subesse,
 Cæsarisque hostes unice machinari,
 ut recens erecta Imperatoris potentia
 atque Auctoritas rursus infringeretur,
 nilque in Italia præter inane Cæsaris
 nomen eidem superesset. His tamen
 suggestionibus prævaluit in Ferdi-
 nando proclivis ad concordiam animus:
 opportune etiam Ratisbonam advene-
 rant Ludovici XIII. Franciæ Regis
 Oratores Carolus Brulardus & P. Jo-
 sephus Capuccinus, qui sua professione
 superiorem in agendis rebus publicis
 dexteritatem præferens Richelio Car-
 dinali a secretis erat consiliis. Ambo
 igitur Imperatorem ad pacem tam va-
 lide stimulabant, ut hic datis literis pro-
 tinus Urbano VIII. Papæ significaret,
 quod victoriis potiolem haberet pacem,
 unice eo fine, ut positis inter Princi-
 pes diffidiis sinceram unionem revo-
 care, ejusque Pontificatum restaurato
 Dei cultu augustiorem reddere valeret,
 proin Sanctitatem suam rogaret, ut
 Apostolica simul auctoritate Christiano-
 rum Principum animos ad concordiam
 flectere, & quorundam etiam Catho-
 licorum perversa consilia ac fœdera ad-
 versus Dominum, & Christum ejus
 inita dissipare satageret: Postea Cæsar
 summo Pontifici pollicebatur, quod
 X 5 Ni-

Sæc. XVII.
 A. C. 1630.

*Ferrer. con-
 tin. Hist.
 Hisp. t. 12.
 c. 1. p. 118.*

Sæc. XVII. Nivernium Ducem utpote a suis male
A. C. 1630. consultum concessa præteritorum obli-
 vione in gratiam recipere, ac petita
 venia suæ ditioni reddere pacemque
 inter contententes stabilire paratus es-
 set: suam igitur operam Pontifex ad
 tam salutare negotium pariter junge-
 ret. Expeditis hisce literis Imperator
 Antonium Cremifanensem Abbatem,
 Strallendorffium, Nostwizium & Que-
 stenbergium die undecima Augusti no-
 minabat, ut cum Franciæ Legato de
 concordia articulis agerent. Tandem
 multis ultro citroque agitatis in hosce
 articulos die vigesima tertia Septem-
 bris conventum est. I. Nivernius pe-
 tita a Cæsare venia Mantuanum &
 Montferratensem Ducatus reciperet, &
 Casalin suis præfidiariis muniret. II.
 Sabauda sua redderentur, indeque
 Franciæ Rex præsidia deduceret, nec
 deinceps ullum Imperii Principem læ-
 cesseret, nec Austriacæ Domus hosti-
 bus aut rebellibus opem ferret. III. Ita
 vicissim se Cæsar erga Regem Regnum-
 que Franciæ gereret. IV. Claustra
 Alpium ac Rhetiæ in pristinum sta-
 tum reducerentur. V. Hac pace etiam
 Veneti & Lotharingiæ Dux compre-
 henderentur, arma tamen, militesque
 dimitterent. Igitur Mantua Nivernio
 reddita, Casalis permissa Gallis, & Pe-
 gnare

gnarolum divenditum est. Demum his Sæc. XVII.
 articulis Cæsaris Oratores, & Brullar- A. C. 1630.
 dus Franciæ Regis Orator, necnon
 Pater Capuccinus subscripsere, qui po-
 sterior utpote de Regis sui mente ma-
 gis edoctus, ipso Legato potiozem hac
 in transactione partem habuit, postea
 tamen mandati limites excessisse accu-
 satus, in Parisiense Capuccinorum mo-
 nasterium relegatus est.

§. CII.

*Nivernii Ducis deprecatio Cæsari
facta.*

Priusquam hæc pax utrinque firma-
 retur, Carolus Nivernius Dux a Khevenh.
 Cæsare veniam rogare jubebatur, Annal.
 præscripta eidem hac deprecationis Ferd. II.
 norma: t. II. p. 1230.

„Sacratissime, & Augustissime Ro-
 „manorum Imperator, Domine
 „Domine Clementissime. „

„Quæ jam tum ab initio apprehen-
 „sæ possessionis utriusque Ducatus Man-
 „tuæ & Montisferrati a Majestate Ve-
 „stra Cæsarea tum ratione sequestri or-
 „dinata mihiq; serio injuncta, tum
 „vero in diversis tractatibus optima in-
 „tentione proposita fuerint, prope me-
 „mini. Etsi vero, quominus vel se-
 „que-